



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Cap. III. Tria Consectaria dictorum de Sancitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

que enim tam ardentem amare Deum potest quam ipse dignus est, neque ea affirmatione qua dignus est, neque ad infinita distincte se potest extendere, ea ad ipsius gloriam referendo.

Quartò, Hinc fit ut sanctitas Dei neque crescere possit unquam, nec minui. Non crescere, quia est uniuersitas & plenitudo sanctitatis infinita. Non minui, quia est essentialis. Creatura uero sanctitas potest crescere sine termino, & potest minui usque ad nihilum: nempe si naturam rerum spectes, & nisi Deus terminos præfixisset.

Quintò, Sanctitas Dei est superior omni sanctitate & puritate intelligibili, & in ipso præexistit & superexistit ab æterno ipsa sanctitatis ratio & plenitudo superessentialiter, ad eò ut sanctitas creatura ad illam puritatem comparata, sit instar nihili, & ueluti impuritas quædam. Simili modo tota potentia, sapientia, pulchritudo, excellentia totius creatura ad diuinam potentiam, sapientiam, pulchritudinem, excellentiam collata, est instar nihili. unde Theologi docent, totum uniuersum unà cum Deo sumptum, non esse quid præstantius Deo solo; tum quia non addit aliquid notabile Deo, sicut una arenula non addit aliquid notabile immensitati Terræ; tum quia etsi semel productum sit, adhuc continetur in Deo eminenter & idem numero: unde nihil addit quod in Deo non sit excellentiori modo. Hinc Dominus Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? unus est bonus, Deus.* & Ecclesia in Hymno Angelico, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus:* quia in ipso solo uniuersitas boni, & sanctitatis, & dominij; & quidquid extra illum reperitur boni, aut sanctitatis, aut dominij, id totum est instar nihili, comparatione eius quod est in Deo, utpote infinite ab excellentia illa deficiens.

Sextò, Sanctitas Dei est causa efficiens, & conseruans, & exemplaris, & formalis seu specificans, & finalis omnis sanctitatis creatura, ut antè ostensum est.

CAPVT III.

Tria Consectaria dictorum de Sanctitate.

Ex his quæ dicta sunt patet Primò, Quanta puritate animi, reuerentia, & attentione illum colere debeamus. Cum enim sit ipsa puritas & sanctitas, in suis cultoribus summam puritatem requirit,

quirit, iuxta illud Leuitici 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* non enim summæ puritati potest placere nisi quod purum est. Requirit etiam summam *reuerentiam*: quia sanctitati debetur reuerentia, cum in ea concipiatur præsentia diuini numinis. Denique summam *attentionem*: quia reuerentia attentionem parit. vnde quantum est reuerentiæ, tantum est attentionis.

12. Secundò, Totum mundum esse veluti templum quoddam Diuinitatis, ipsius præsentia sanctificatum, vt ipsum vbique præsentem spectemus, vbique veneremur, laudemus, honoremus, semperque in eius præsentia, veluti in sacro quodam templo nos versati putemus. Sed maximè templi instar habet anima nostra, quæ toto mundo longè est capaciòr, & ad cultum diuinum, eiusque in ea habitationem specialiter sanctificata. quare nos introrsum conuertere, & in fundum animæ, vbi Deus habitat, recipere oportet, vt ibi procul à rerum externarum tumultu, in silentio cum ipso versemur, ipsum veneremur & colamus.

13. Tertiò, Vitandos omnes impuros & inordinatos affectus, omnesque animæ labes, quibus templum animæ nostræ violatur & profanatur. Sicut enim certis quibusdam operibus, quæ repugnant sanctitati loci corporalis, violatur templum materiale, fitque cultui diuino ineptum: ita quoque peccato, & maximè impuris cogitationibus & affectibus, violatur templum spiritale animæ nostræ, fitque ineptum habitationi diuinæ. *In maleuolam enim animam non introi- Sap. 11. bit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et quamuis Deus propter immensitatem essentiæ non possit recedere re ipsa, recedit tamen tum affectu tum effectu; quia odit tale habitaculum, nec vult in illud cælestem gratiæ suæ liquorem effundere, sicut sapiens vnguentarius pretiosissimum balsamum vasi impuro nunquam infunderet.

CAPVT IV.

Recollectio precatória, de Sanctitate Dei.

14. **S**ANCTVS, *Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis* *Is. 6. terra gloria eius.* Ita clamant Seraphim in visione illa mystica, qua gloriæ tuæ specimen & terribile iudicium Iudaicæ execrationis Isaïæ Prophetæ ostendisti. Impleta enim populi illius peccatorum mensura, cum te in carne venientem repudiarunt, sanctita-